



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Figura vii. Petrae à Mose percussæ, Exo. xvii. xciiii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

FIGVRA VII.

Christus PETRA à Mose percussa, unde egressæ sunt aquæ largissimæ. Exodi 17.

Sitiuit populus præ aquæ penuria, & murmurauit contra Mosen. Clamauit autem Moses ad Dominum, & ait Dominus: Tolle in manu tua virgam, & vade. En ego stabo coram te supra petram Horeb: percuti esque petram, & exibit ex ea aqua vt bibat populus.

FIGVRÆ EXPLICATIO.

CAPVT

XCIII.

1. Cor. 10.

Esa. 28.

Matt. 16, 21.

1. Pet. 2.

Ephes. 2.

Acto. 4.

Psal. 39.

Psal. 60.

Allegoria PETRÆ à Mose percussæ, et fundentis largissimos aquarum fontes, à S. Paulo traditur his verbis: Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus. Propterea autem Christus PETRA nominatur: qui ipse firmum est & solidum FVNDAMENTVM Ecclesiæ, & RVPES nostræ salutis: quam nulla tempestates, nulli fluctus peccati & mortis euertere possunt. Sed nec quenquam, qui huic firmiter insistit Petra: fundatus est enim super Petram. Hinc Apostolus Petrus ait: Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis edificandus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub calo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Ad hanc Petram respexit utiq. Regius ille Prophetæ David, cum dixit: Et statuit super petram pedes meos: & direxit gressus meos. Ac rursus: In petra exaltasti me. Vidi iam grande Mysterium: & admirandum consilium nostræ Redemptionis, in hac imagine Mosis ferientis petram, significatum. Recipit Deus immensa misericordia sua genus humanum: sed cum iustus sit, & Legi Dei satisfieri oporteat, vel obedientia, vel pœna: propter ordinem iustitiæ decretum fuit, vt aliquis in

qui in genere humano prorsus innocens, pro ceteris son-
 tuam penam solueret: ut per soluto pretio, homines in
 patriam Dei, & promissam aeternae salutis hereditatem
 acciperentur. Lex ergo, qua nos iustissimo iudicio op-
 pressura erat: quia omnes declinaverunt, simul inutiles
 facti sunt, nec fuit qui bonum faceret, usque ad unum: Psal. 13. 52.
Esa. 53.
 unum illum, nempe CHRISTVM IESVM prehendit,
 qui tamen peccatum non fecit: in hunc volentem, atque
 pro peccatoribus semet sponte offerentem, vniuersas ma-
 ledictiones simul effudit. Ita Legislator PETRAM
 CHRISTVM ferit: ne nos feriret, sed parceret. Sicut
 in Esaia dicitur: Ipse autem vulneratus est propter ini- Esa. 53.
 quitates nostras: attritus est propter scelera nostra.
 Disciplina pacis nostrae super eum: & liuore eius sanati
 sumus. Et Apostolus Paulus ait: Christus redemit nos Gal. 3.
 de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum.
 Emittit autem haec PETRA largissimos fontes aquarum, Ioan. 4.
 salutes in vitam aeternam: flumina videlicet Euange-
 lio: per quae corda nostra aestu ira Dei, & metu aeterna-
 rum poenarum torrefacta, suauiter recreantur. Vnde
 dicit in Euangelio Christus: Venite ad me omnes qui Matth. 11.
 laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. Ac rur-
 sum: Si quis sitis: veniat ad me, & bibat. Quare in Ioan. 7.
 omnibus angustiis & doloribus nostris, confugiamus ad
 hanc petram, D. N. Iesum Christum: ut viuus fontis
 Euangelij sui, corda nostra arida reficiat et recreet.
 Huc etiam referri debet amplissima Consolatio, quae est
 in verbis D. Bernardi: quae habentur supra de Pass.
 & Morte D. N. Iesu Christi, lib. III. cap. LIX.

FIGVRA